





~~11-58~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.  
VITEBERG.

11-58

SIGNAT. clvccccxiii.



Evolutionem  
Ænigmatum  
**PYTHAGORÆ**  
Symbolicorum

à  
Plutarcho  
Philosopho Boetio, & Diogene,  
Historico Laërtio,  
Jamblichō, Sopho Cœle-Syro,  
*aliis item,*  
*hinc indè connotatorum;*

argenteis  
S. P. Q. Wratisl.  
*ænigmatiſ*

A. D. 24. Maji clō Iōc LXXIV.  
*In Gymnaſio Vratiſlavienſi Eliſabetano*  
horis ab VIII. matutinis,  
*ex ſingulari in ſtudia liberalia adfectu,*  
remunerandam.

*indicit*  
**JOHANNES GEBHARDUS.**

---

**WRATISLAVIÆ,**  
In Hæredum Baumannianorum Typographia  
exprimebat GODOFREDUS GRÜNDR.





L. S.



Uanta Reverentia Philosophorum anti-  
 quissimi Sapientiæ coluerint arcana, ita ut non pro-  
 miscuè quemcunque mysteriis his initiarint, patet è  
 diversis, gentium etiam diversarum, Scriptoribus. Plato  
 Theætetum suum sedulò commonet, ut à studio Sophiæ homi-  
 nes ignavæ & illiberalis naturæ abarceat; *Observa*, inquit, at-  
 tentè, ne quis profanorum exaudiat. Atque ut Theætetus sat quo-  
 que intelligat, quos innuat ἀμύητους, addit insuper: *Hi verò sunt*  
*profani, qui nihil aliud esse putant, nisi quod præstrictis manibus tenaciter*  
*apprehenderint.* Sic Cœus Medicorum Princeps futuros ar-  
 tis suæ Tirones simili instruxit distinctione: τὰ ἱερὰ εὐόντα πρὸς ἡ-  
 γματὰ ἱεργῶν ἀνθρώπων δεινῶν, βεβήλοισι δὲ ἔθελμις, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν  
 ὀργίοισιν ἐπισημῆς. *Res excellentes cum eximiis hominibus communicari*  
*debent, non autem cum profanis, antequam initiati fuerint mysteriis sci-*  
*entia.* Ita enim, ductu Scholiastæ Apollonii, Orgia hic  
 ὡς τὸ εἶργειν, quod ab illis sacris arcendi sint profani, veriùs  
 quam ἀπὸ τῆς ὀργῆς, à furore, interpretari par est. Sic de *Chal-*  
*daorum Symbolis*, librum curiosa quadam doctrina exstare apud  
 Græcos mancum, apud Chaldaeos copiosiore, L. Greg. Gy-  
 raldus; *Druidas* verò, Gallorum Mystas, Theologiam suam  
 præceptis inclusisse mysticis Julius Cæsar perhibent. Et *Jo-*  
*vem* in Libya *Ammonem* Oracula sua non nisi per Symbola red-  
 didisse, notavit Eustathius: Quorum fanè habetur propri-  
 um, ut mæandris obscurisque sententiarum involucris invol-  
 vantur. *Archimedes* etiam, Vir in omni Geometria subtilitate  
 multum ante alios admirabili sua habuisse *Problemata* sive  
 Quæstiones implicitas docemur à Vitruvio. Quin ipsos quo-  
 que *Reges* olim certasse ingenio, sibi que mutuò ex intimis Philoso-  
 phiæ adytis proposuisse scirpos, scimus è Plutarcho, scripto-  
 re

in Dial.  
ὡς ἐπι-  
σήμ. p. 155.  
fin.

ἐν νόμῳ  
p. 19. 41.

Tom. II.  
p. 468.  
L. 6. Com-  
ment.  
in Dionys.

L. 9. c. 3.

in VII. Sa-  
pient. Cōv.



re Chronensi. Et sanè Salomonem Tyrriorum Regi posuisse  
ænigmata testem excitamus sat locupletem, oppidò nempe  
sollertem illum rerum Judaicarum scriptorem Josephum.

l. 8. Antiq.  
c. 5.

Contrà verò *Nicaulam, Austri Reginam*, heroidem illam in-  
geniosissimam, quam laudibus ipse noster exornat soter, quod  
ad spectandam audiendamque Salomonis sapientiam Jeroso-  
lymam ex ultimis Regni Æthiopici finibus accesserit, eidem  
proposuisse gryphos ipsæ divinæ nos docent paginæ. Cujus  
ipsius etiam *Parabolas*, quæ vulgò dicuntur, *Symbolorum nomine*,  
probatis quibusdam Auctoribus venire constat. Et illum  
celebratissimum adagionem, *Hydræ secas*, non tam fabulosæ or-  
tum debere hydræ, illi *ἐκ τῆς ἀναφύου*, quam Sophistriæ hoc  
nomine insignitæ, cujus mos erat quæstiones ita proponere,  
ut scrupo soluto uno, renascerentur multa, censet ipsemet Phi-  
losophorum Antesignanus Aristocles Plato. Qui idem quo-  
que, ut ingenii doctrinæque in Græcia haberetur Princeps, id  
Ægyptiacæ potissimum peregrinationi, *μυστηριώδης* hujus Phi-  
losophiæ scaturigini, potuit ferre acceptum. Quid, quod  
& *Moses*, arcanorum Creaturæ omnium conscriptor, à Step-  
hano Protomartyre omni Ægyptiorum sapientiâ celebratur eru-  
ditus? Immo *salutis assertorem nostræ* methodo haut absimili su-  
as ita nobis proponere præceptiones, ut quodam quasi Para-  
bolarum velamine eas contegat, nemini, qui vel primis labris  
instrumenti novi Sacramenta degustavit, potest esse incogni-  
tum. Etenim *omnia locutum esse JESUM in Parabolis ad turbas, &*  
*sine Parabola eundem nihil esse locutum*, per *Matthæum* pariter & *Mar-*  
*cum*, amanuenses suos, æternus attestatur Spiritus. Scilicet  
ut compleretur quod dictum fuerat per Prophetam Davidem:  
*Aperiam in Parabolis os meum*. Sic & Apostolos pariter ab usita-  
to loquendi genere recessisse, nemo, qui attentius paulò ho-  
rum evolvat scripta, non observabit. Videlicet ut sacra de  
Numine æterno prolata à cæteris Sapientiæ humanæ scriptis  
æquè dignatione meritâ, ac singulari quadam proferendi me-  
thodo discernantur, nec mysteriorum sacramenta celestium

Mat. 12. 42  
Luc. 11. 31.  
1. Reg. 10. 1.  
2. Par. 9. 2.

Lib. de  
Rep. 4.

Act. 7. 22.

c. 13. 34. 35.  
c. 3. v. 23. &  
c. 4. v. 2. 13.  
33. 34.  
Ps. 77. 2.



indiscretè statim cuique de circo patefcant; & sic sanctum ca-  
nibus, & margaritorum pretia exponantur porcis. *Amat enim*  
Gyrald. T. *divina natura celari, & abdita ejus substantia non patitur nudis verbis*  
II. in Præf. *in aures introire pollutas, ut in hanc sententiam sanctè judicavit,*  
Symb. *Cæsar in Deum alioquin impiissimus Fl. Claudius Julianus. Qua-*  
Pyth. *re minus videri potest mirum, si Theodectes Poëta oculis scribi-*  
Id. ib. p. *tur fuisse captus, eò quòd Hebræorum quædam suis carmini-*  
282, & 466. *bus arcana publicando profanasset.*

Verùm enim verò etiam si Phariam hanc docendi metho-  
dum inter prisceos approbarint haut pauci; nemo tamen ean-  
dem, quod sciam, observavit strictius, nisi ille Mnesarchi, anu-  
lorum sculptoris, filius *Pythagoras*, vulgò quidem *Samius*, à  
plerisque *Syrius*, ab aliis *Tyrius*, à Græcis quibusdam *Tyrrhenus*,  
à S. Ambrosio *Hebræus* habitus, qui ea ipsa fini ad Ægyptiorum  
Mystras visere non gravatus hanc philosophandi scientiam &  
cognovit exactè, & Crotoniatis in Græcia Italica suos edo-  
cuit exquisitè. Cujus Præcepta ut ut temporum injuriâ & ho-  
minum malè feriatorum incuriâ interierint fermè omnia; re-  
stant tamen adhuc aliqua à Gentilitate prisca hinc indè conno-  
tata. Atque hæc singula sententiarum fragmenta J. Lipsius,  
Seneca Iscanus, *gemmis esse equiparanda non ineptè, puto, exi-*  
stimavit.

L. 3. Man.  
ad Stoic.  
Phil. diff. 1.

Quare autem illa Ægyptio-Pythagorica Sophia usq; adeo  
interierit, si causam quis scitetur, quid aliud huic regeramus,  
non video, nisi eam idem expertam fuisse fatum, quod A. *Persius*,  
qui, etiam si Vir sit spiritûs perquam divini, & Carminum  
conditor oppidò argutus; attamen cum eruditio ejus admo-  
dum sit recondita, diu per aliquot sæcula jacuit neglectus, ut-  
pote Lectori, obstili obscuritatem, non intellectus. Felici-  
or tamen eâ re hic Satyricus, quod fato satis adhuc benigno à  
temporum carie assertus sit; cum *Sami* hujus *Capillati* monu-  
menta, ab *Anaximandro* licet *Milesio*, & *Alexandro Polyhistore* inter-  
pretata, cum ipsis etiam Interpretibus deperierint. Immo jux-  
tim interiissent universa, nisi illorum inscriptoribus aliis  
pauca

Jambl. in  
Vit. Pyth.  
c. 6.



pauca adhuc reperiremus λείψανα. Quos inter, ingentem, me quidem iudice, debemus gratiam *Plutarcho Philosopho Choro-* neo, & *Diogeni Historiographo Laërtio*, *Jamblichō* item *Chalcidensi Syro*, qui præ cæteris scriptoribus frustra hæc collecta Posteritati asseruerunt. Horum primus cum ea aureolo illi suo de Educatione Liberorum libello inseruerit, quem nos in schola antehac privata, & gemino insuper Aëtu Gymnastico publico enucleavimus, nec nullam tamen Dictorum illorum Pythagoreorum simul, temporis redimendi, dedimus Evolutionem, subit vereri, an non vitio id nobis, & nostro quidem merito, possit verti. Pythagoricæ siquidem hæc Diathecæ Pædagogiam, Plutarchi haut secus videntur decorare, ac gemmæ anulos, pupulæ oculos, lauri nemora, Celum sidera. Eapropter ut nigrum Aristarchorum Theta evitemus, placet nunc seorsum hæc ipsa, ex Plutarchi iudicio, *Anigmata*, ex Jamblichi & Laërtii, *Symbola*, ex nostro autem sive *Symbola Anigmatica*, sive *Anigmata symbolica*, Aëtui Gymnico includere, & sic, quæcunque vel ab illo, vel nobis, interpretibus *Erasmō* potissimum *Roterodamo*, *J.C. Brassicano*, *L. Greg. Gyraldo*, *P. Manutio*, diffusæ lectionis & acris iudicii criticis. observata, quasi areolis quibusdam circumsepire, ut ex reliquiis his præceptorum perpaucis innotescat, quàm ingeniosa ista sophica Trojani hujus Euphorbi fuerint mysteria. Quamvis autem ingeniosiora longè eruditioraque à *Collegio Curiosorum Societatis Pythagoreæ* brevi ex alma Salana exspectamus; immo prodromis etiam horundem uti jam tum fruique possumus, *Viri celeberrimi Erhardi Weigeli*, *Artium Architectonicarum supremi Directoris & Prof. P. Tetracty*; *Artis magnæ sciendi genuina radice*; & *Tetractypariter Societatis Tetracty Pythagoreæ* correspondente, aliis item *Disceptationum Curiosarum Speciminibus Jenæ* anno superiore editis; æqui tamen bonique Auditores nostri consulent, si in secundis vel tertiis Aëtores consistent Gymnici, cum primas, vel pro ætatis ratione, nondum queant contingere. Adeste proin, *Patroni Musarum inclita hujus Reip. honoratissimi, & Vos, Fautores*





Joseph. l. 1.  
c. Apion.  
p. 453.  
1. Cor. 13.  
12.

tores benevolentissimi, partemque matutini crastini gravioribus negotiis subtractam *Philosophia Crotoniatarum enigmatica*, impendite, *ἡσυχία* publi & *ἀγχινοῖαν ἐξευδία* vestra parate, erranti sicubi faventer ignoscite, feliciter conjectanti benivolè favete; memores puerum Juvenem *Abdemonum* etiam Hiram olim solvisse sirpos, quos Tyrriorum Regi sapientissimus hic Judæorum Monarcha prius destinaverat: imo nos omnes cernere nunc per *speculum in enigmate*. Unde in rebus adeò abstrusis etsi lapsus illi contingat & error; animus tamen vester tanto erit ignoscen-  
tior, quanto cognitio rei abstrusior. Recordatio veniæ magnus est stimulus industriæ. P. P. Wrat. 23. Maji 1674.

*Theatridion Anigmatum Pythagoræ Symbolicorum.*  
*Evolvent hac*

1. *Pythagorei*, sub ficta Metempsychosi & Palingenesiâ
  1. *Anigmatista Pythagoræ*, suos Auditorio, serie secupla è Syngrammate triplici, Pædastico, Politico, Physico, proponentis residuos ex vetustate griphos, *Immanuel Brennerus, Rochliciensis*.
  2. *Auditorum Philosophiæ Pythagoricæ Esotericorum sive Sebastiorum*
    - J. *Familiarium*
      - J. *Femellarum*
        1. *Theanus, Uxoris, Balthasar Jungling Steinensis*.
          1. Ingressus templum reverenter adorato.
          2. Arcum annulum ne gestato.
          3. Cor ne edito.
          4. Ollæ vestigium in cinere confundito.
          5. Quæ ceciderint ne tollito.
          6. Aurum habenti in filiorum generatione ne adhareto.
        2. *Themistoclea, Sororis, Georgius Beherus Vratislav*.
          1. Nudis pedibus sacrificata & adorato.
          2. A fabis abstineto.
          3. Salem apponito.
          4. Ungvium criniumq; præsegmina ne lotio conspergito.
          5. Superis imparia, paria inferis sacrificato.
          6. Honorato comprimis figuram & aram, figuram & triobolum.

3. *Damus*.



3. *Damus, filia, Johannes Fridericus Bremerus Vratislav.*

1. Ex itineris diverticulo templum ne ingreditor.
2. Dei figuram in annulo ne circumfero.
3. Cerebrum ne mandito.
4. Malvam serito, nec tamen edito.
5. Ligna cupressina ne coacervato.
6. Unum duo.

2. *Masculorum*

1. *Telaugis, Filii, Johannes Acoluthus Vrat.*

1. De Diis quævis admiranda credito.
2. A piscibus abstineto.
3. Panem ne frangito.
4. Adversus Solem ne mejito.
5. Ex imputatis vitibus Diis ne libato.
6. Sedem oleo ne abstergito.

2. *Zamolxis, servi, Fridericus Meisnerus Berolinensis.*

1. Deos imitans linguam coërceto.
2. Melanuros ne gustato.
3. Cibum in scaphium ne immittito.
4. Adversus solem ne loquitor.
5. Sine farina ne sacrificato.
6. Ex curru ne comedito.

2. *Sociorum & Amicorum, & quidem*

1. *Zeleuci, Ernestus Fridericus à Grentag.*

1. Flantibus ventis Echo adorato.
2. Erythrinum ne edito.
3. Matricem ne edito.
4. E lecto surgens stragula complicato.
5. Adoraturus sedeto.
6. In calceum dextrum; in lavacrum sinistrum pedem præmit-  
tito.

2. *Charonde, Thomas Schreiber Modorensis.*

1. Circumactus adorato.
2. Hirundines sub eodem tecto ne habeto.
3. A mugile & lupo abstineto.
4. Ligna in via ne scindito.
5. Jugum ne transilito.
6. Dextrorsum templa ingreditor, sinistrorsum egreditor.

3. *Epicharmi, Otto Christianus Postlerus Crossensis.*

1. In choenice ne sedeto.

2. *Onus*



2. Onus simul tollito, ne simul ponito.
3. Cum ad terminos perveneris, ne revertitor.
4. Carminibus ad lyram utitor.
5. Absque lumine de rebus divinis ne loquitor.
6. Ab animalibus abstineto.

4. *Empedoclis, Johannes Fridericus Sartorius Pafoniensis.*

1. Per viam publicam ne vadito.
2. Gallum nutrito, ne sacrificato.
3. Dentas ne frangito.
4. Absque Imperatoris jussu è præsidio ne secedito.
5. Cum tonat, terram tangito.
6. Locum sanguine humano sparsum lapidibus obruito.

5. *Alcmaeonis, Abrahamus Hofmannus Sprattaviensis.*

1. Ignem gladio ne scalpito.
2. Triglam ne edito.
3. Dextram non cuique porrigito.
4. Elixum ne assato.
5. Speculum ad lucernam ne spectato.
6. Plantam mitem nec violato, nec cædito.


6. *Archite, Georgius Abrahamus Turmannus Lubenas.*

1. Animalia ungvicurvia ne nutrito.
2. Vinum interdiu ne gustato.
3. Coronam ne carpito.
4. Gladium acutum avertito.
5. Acetarium abs te removeto.
6. De Pythagoricis citra lumen ne loquitor.

2. *Pythagoriste, metris Teutonicis inclusos ruminando singulos.*

- |   |  |
|---|--|
| 1. <i>Fridericus Wilhelmus à Schmettau.</i> | 5. <i>Daniel Kühn Vratislav.</i>           |
| 2. <i>Ludovicus de Schmettau.</i>           | 6. <i>Christophorus Breslerus Vrat.</i>    |
| 3. <i>Ernestus Henricus à Reus.</i>         | 7. <i>Johannes Christoph. Hofman Vrat.</i> |
| 4. <i>Henricus Christian. Hartman Vrat.</i> | 8. <i>Johannes Pexoldus Vratisl.</i>       |

Quibus absolutis Præceptor ipse de ænigmatibus Veterum  
 numariis aliqua præfatus, iisque ad Juventutem Gymnicam ac-  
 commodatis, Ænigma ex Liberalitate Senatus magnifici Ju-  
 ventuti litterariæ tribuendum argenteum paucis explicabit, &  
 dehinc adjuncto monito Pythagoræ Epico aureo singulis dis-  
 tribuet.



2110.5



Ung. VI 58 (10)

ULB Halle 3  
002 686 287



Sb,


VD17  
Sep. 2000 Pd.











B.I.G.



Farbkarte #13

ionem  
natum  
**GORÆ**

icorum

75  
rcho  
tio, & Diogene,  
Laërtio,  
ho Coele-Syro,  
tem,  
notatorum;  
ateis

Wratisl.

matis  
lo lsc LXXIV.  
laviensi Elisabethano

I. matutinis,  
ia liberalia adfectu,  
randam  
licis

**GEBHARDUS.**

**SLAVIÆ,**  
ianorum Typographia  
FREDUS GRÜNDER.

